



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. De electione intima elécto, ejusque consensu requirendo, & exhibendo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

nem &c. ob periculum, quod subesse potest, si longiore tempore tales Ecclesie vacanti ita tamen, ut neque cum hoc tempore ipsorum jus eligendi expirat, si intra illud eligere non potuerunt, & nullam negligentiam commiserunt; aut si electio effectum sortita non sit, quia electus v. g. consentire noluit, vel juri suo, postquam consensit, ante confirmationem tamen renuntiavit &c. quibus in casibus ad novam electionem faciendam, trium iterum mensium spatium, electoribus conceditur ad eligendum, modò nihil in fraudem factum sit à Capitularibus (uti habetur in *c. si electio 26. h. t. in 6. juncta glossa V. fraudulenter*) & non tantum jure devolutionis, sed proprio jure potestas eligendi ad eos pertineat: hoc tamen tempus ita à jure concessum est eligentibus, ut ubi periculum in mora est, superior Prælatus, cui Capitulum tale subest, tempus constringere possit, quod Pontifici etiam concessum est extra casum necessitatis, si velit ex plenitudine suæ potestatis agere circa hanc, de jure quidem communi, determinatam materiam, ipsius tamen potestati absolute subjectam.

Quòd si tamen per negligentiam, seu moram culpabilem non eligant, intra tempus à jure præscriptum Capitulares, sunt ipso jure privati, pro ea vice jure eligendi (ut paniantur in eo, in quo negligentes fuerunt) & providendi pro ea vice potestas ad eum superiorem immediate devolvitur, à quo eligendus confirmari deberet, uti sumitur ex *c. cum dilectus 12. de concessione præbende & ex c. ut ne pro defectu*, prout pluribus infra dicetur.

§. II.

De Electione intimanda Electo, ejusque consensu requirendo, & exhibendo.

Electione celebratâ, debent electores, quàm primùm commodè poterunt, electo electionem præsentare, ejus consensum petere, quem hic etiam infra mensem, à tempore præsentationis, aut notitiæ habitæ de sui electione *c. cupientes 16. h. t. in 6.* computandum, præstare debet, si electionem acceptare velit, & sui juris sit; ita ut si absque justo impedimento diutius consensum distulerit, ipso facto privatus sit jure, quod illi ex electione competebat, prout statuitur in *c. quam sit 6. h. t. in 6.* tum ut ne per diuturnam moram, & vacationem Ecclesia patiatur; tum ut ipsi electo commodum etiam tempus conveniat, dispiciendi, num electionem acceptare velit. Quòd si tamen electus sui juris non sit, quod fieret, si regularis v. g. eligeretur in Episcopum, vel Prælatum extraneæ Ecclesie, licentiâ ab ejus superiore ab electoribus, quâ fieri potest celeritate, peti, ac obtineri prius debet, quàm mensis ad deliberandum de jure concessus, ipsis currere incipiat, tum ut ne superiori ejus invito hic subtrahatur, tum ut ipsi Religioso etiam consultum sit, per tempus competens, ad deliberandum post obtentam licentiâ.

SECTIO